



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXIV. Bona arbor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

De Bonis mobilibus & immo-
bilibus vid. Res immobiles.

CAP. XXI.

De Bonis conjugum.

Axioma I.

Quæcunque bona marito administranda commissa, ex illis tanquam paraphernalibus usufructum capit & vice versa:

Quæcunque bona marito administranda non sunt commissa, ex illis tanquam receptitiis usufructum non capit.

Ratio, quia hoc tacite videtur actum, ut ob incommodum administrationis maritus iterum aliquid commodum habeat, scilicet usufructum.

Limita: ut in dubio maritus consentiente uxore videatur paraphernalia administrasse. *Brunnem. ad l. 9. ff. de jure dot. n. 11.*

II.

Quodcunque constante matrimonio ab uxore acquiritur, illud omne marito acquiritur. *l. Quintus Mutius §. ff. de donat. int. V. & Uxor.*

Ratio quia in dubio uxor ex re mariti præsumitur talia acquisivisse ad excludendam turpis lucris suspicionem. *d. l. 51. Myns. 2. O. 92.*

Hinc ergo quod operis artificialibus acquirit, marito acquirit, quamvis non possit cogi ad tales operas, nisi maritus fuerit ejusdem artificii. *Corpz. P. 2. Conf. 25. def. 15.*

Limita: ut non procedat in fortuitis lucris, v. g. hereditatibus. *l. 77. §. 8. ff. ad Scrum Trebell.*

III.

Quæcunque bona non faciunt ad necessitatem, illa revocare poterit maritus. Quia donatio inter conjuges non valet. *l. 1. ff. de donat. int. Vir & Ux.* Sic igitur revocare potest maritus catenam auream & splendidiore vestes conjugii datas.

CAP. XXII.

De Bonis vacantibus.

Quicumque merum Imperium habet, illi Jus competit succedendi in bona vacantia. Ratio: quia merum Imperium habenti competit quocunque Jus filici, filico autem Jus competit in bona vacantia. *l. 1. C. de bonis vacant. Richter. de success. ab intest. §. 5. n. 3. Matth. Coler. P. 1. Decis. 22. n. 3. Klock. de arar. Lib. 2. cap. 136. num. 18. Guid. Papæ: Decis. 76. n. 1. Decian. Vol. 2. Conf. 35. n. 64. Sixtin. de Regal. cap. 11. n. 37.*

Limita: ut procedat saltem de jure Saxónico. *Landrecht. Lib. 1. art. 28. Ludov. Fachs Differ. Jur. Civ. & Saxon. 35. Reinhard. P. 1. differ. 34. Befold. Thes. pract. voc. Erblose Güter in fin. & Lübeckens. Mev. ad Jus Lubec. P. 2. Tit. 2. art. 24. n. 64. Et sic tantum in illis locis qui hoc jure utuntur, v. g. in Pomerania aliquibus Civitatibus.*

Mev. d. l. conf. Stryck. tract. de Success. ab intest. Dissert. 5. cap. 1. th. 10.

seqq.

CAP. XXIII.

De Bonorum possessione.

Quoties in personam heredis est inhabilitas ut heres esse plane prohibeatur, toties cessat bonorum possessio. *conf. l. 12. §. 1. ff. de bon. possess.*

Ratio: quia prator non potest illum habilem efficere, quem Jus Civile pro inhabili reputat, cum ita jura tolleretur, quos verò ignorat, illos admittere potest. Deportatus igitur non potest petere bonorum possessionem bene tamen emancipatus.

CAP. XXIV.

Bona arbor.

Bona arbor bonos fructus facit. *l. quod sino- lit. 31. §. qui mancipia. 21. de edil. ed. mala verò bonos ferre non potest. gloss. ad d. §. qui mancipia.*

CAP. XXV.

Bona causa.

Bona causa bona Advocato indiget. *l. si su- peratus 3. §. 1. de pignor. Jacob Myer in histor. proc. Jur. p. 1. cap. 1. obs. 1. num. 3.* Ratio, quia bona causa etiam deteriorari & omitti potest male agendo. *d. l. 3. pr.* Sæpe enim bona causa mala est instantia, ex quo fit sæpe ut pereat lis actori. *l. 5. post. 73. de judic. Tertull. lib. de patientia.* Quotiens instantia ejus deterior est causa sua. Sæpe enim licet rei persequendæ Jus suum habeat actor, sit tamen ut rem amittat, vel quod non veniat instructus probationibus ad agendum, vel quod non utatur propria actione & congrua. *Cujac. lib. 20. quæst. Pap. in dist. leg. 3. de pignor.*

CAP. XXVI.

De Bona fide.

vid. Rubr. mala fides.

Axioma I.

Quicumque opinatur rem esse suam sive auctoris sui, ille est in bona fide, quia bona fides consistit in opinione, quæ excusat possessorem ab ignorantia rei alienæ. Hinc igitur etiam ille, qui postquam rem sibi comparavit, de illa dubitat, erit in bona fide, si magis rem suam esse opinetur quam alienam.

II.

Bona fides & mala fides sunt contraria, & non possunt esse in eodem subiecto. *l. 3. §. ult. pro Soc.* Unde est quod bonæ fidei contractus corrumpant dolum, *l. 7. §. 3. de dol. & malæ fidei emptio irrita dicatur. l. 1. C. de rescind. vend. adde Dyn. ad cap. possessor. de Reg. Jur. in 6. Arum n. exercit. 6. quæst. 5.* Bonum enim malum esse nequit, nec malum bonum, equidem bono melius esse potest, & malo pejus: at nunquam quod malum est propterea & bonum erit, neque potest eadem de re conscientia eadem esse simul læsa & simul illæsa, simul certa & incerta: *C. I. A. de usurp.*